

**Summa utriusque iuris doctoris Raymundi w edycji Commune Incliti Poloniae regni privilegium constitutionum et indultuum publicitus decretorum approbatorumque.**

Starodruk, Biblioteka Jagiellońska, St. Dr. Cim. 8002

Odczyt: Kamil Sorka

Księga 2, rozdział 55, fol. XXIII

**De heredibus et hereditate heredum. Capitulum. LV.**

Circa hanc materiam testationis plura scire oportet, scilicet: quid sit hereditas, quot eius partes, quid sit heres, quot sunt species sive differentie heredum, quid sit heredem instituere, quid sit exheredare, quid sit preterire, qui debent institui et qui non, ad quid instituantur, quot modis instituantur et quomodo, quot modis exheredantur, quid sit substitutio, quot eius species et quomodo fiant omnes substitutiones. De primo hereditas est successio in omne ius quod habuit defunctus tempore mortis. Due sunt species, id est divisiones hereditatis: solemnis et simplex. Solemnis divisio fit a iure in XII partes. Simplex divisio fit in quantascunque partes testator voluerit, veluti si unus instituitur heres, ille totam hereditatem possidebit. Et si plures instituuntur [non] nominatim, isti omnes equis partibus hereditatem habebunt Si vero nominatim plures instituuntur heredes, tunc quilibet partes sibi testatam consequetur. Heres est una eadem persona cum defuncto quoad ad ingressum domini et hereditatem defuncti. Quattuor autem sunt species seu differentie heredum, scilicet: ascendentes, descendentes, collaterales et extranei. Ascendentes sunt: pater et mater, avus, ava, proavus, proava etc. Descendentes sunt: filii, filie, nepotes et neptes, pronepotes et proneptes. Collaterales sunt frater, soror, patruus, avunculus, amita, matertera et eorum descendentes. Extranei sunt omnes persone nostre potestati non subiecte. Heredem instituere est aliquem post mortem suam sibi successorem facere, sive idem sit presens sive absens. Dicitur enim instituere aliquem in bonis suis dominium statuere et facere. Et dico „post mortem”, quia vivo testatore nullus est heres. Exheredare est aliquem de liberis suis nominatim ex causa a legibus approbata ab hereditate repellere, sic dicendo: „A. filium meum exheredo, quia insidias mortis mihi per veneni poculum preparavit”. Preterire est aliquem obmittere, hoc est neque instituere neque exheredare, sed pretereundo oblivisci. Institui debent heredes necessario descendentes vel ascendentes. Collaterales autem et alii extranei instituuntur secundum testatoris voluntatem. Illi vero, quibus testari non licet, illi etiam non possunt institui: ut puta heretici, apostate et ceteri.

[hasła: dziedziczenie, spadek, dziedzic, ustanowienie dziedzica, wydziedziczenie, pominięcie w testamencie, wielość dziedziców, zdolność testamentowa bierna, dziedzice konieczni, krewni w linii bocznej, zstępni, wstępni]